

Comment. In Daniele

- Ro. 11. Et apostolus capite vndecimo epistolæ ad Romanos: Noli altum sapere, sed time. Timor feruilibus timet pœnam, timor filialis culpam. Bonus timor tam debitus est Deo, vt ipse Deus timor vitorum iustorum appelletur. Id ostendit diuina scriptura
- Gen. 31. ra capite trigessimoprimo Genesis, vbi loquens Iacob cum Labam: Nisi Deus, inquit, patris mei Abraham, & timor Isaac affuisset mihi, forsitan nudum me dimisisses. Hoc est, omnibus me spoliasses, nisi mihi opitularetur dominus ille, qui est Deus Abraham, & timor Isaac, quæ Isaac reuerentiali timore veneratur. Et paulo post iuravit per amorem patris sui Isaac: id est per Deum, quem Isaac timebat. De eo ait capite octauo Esaias: Dominum exercituum sanctificate: ipse timor vester, & ipse tremor vester. Eam ob causam pius Simeon, quia Deum filiali timore venerabatur, à diuo Luca capite secundo appellatur iustus & timoratus. Ac Deus Græcè dicitur θεός, timor autem θεός: quasi nomen Dei à timore deriuetur: vel timor à nomine Dei. Vnde Deus Latine à nomine θεός, vt viris placet eruditus, deducitur, hoc est à timore filiali, quo illum sumus culturi.
- ¶ *Et quærimus faciem tuam.* Hoc est gratiam tuam, & fauorem, quo nos ad te clamantes prosequeris. Accipitur aliquando facies pro favore, misericordia, gratia, & benignitate: vt tertii Regum capite tridodecimo: Deprecare faciem domini
3. Re. 13 Psal. 12. Psal. 29.
- Dei tui. Et psalmo duodecimo: Vsq̄quo auertis faciem tuam à me: Et vigesimo sexto: Tibi dixit cor meum: quæsiuit te facies mea, faciem tuam domine requiram. Sensus est. Enixe te domine obsecro & obtestor, vt me audias: nam tibi hoc precatus est animus meus, non inani vocatione sono sine at endone preces fundo: sed tota animi cura & cogitatione. Vultus meus ad te conuersus non ab alio auxilium petit, sed à te solū. Scemper enim domine faciem tuam, hoc est fauorem tuum requiram. In priore parte accipitur facies pro vultu, in posteriore pro gratia & benignitate. Velin vtraque gratiam & fauorem significat: vt sit lenius. Te obsecrat

cor meum, quod quæsiuit te ò facies mea, ò Deus qui es facies mea, refugium meum, & misericordia mea: quam ego semper conquiram. Vel accipitur secundo loco facies Dei pro ipso Deo in visione beatorum faciente, ac si dicat diuinus spales: Quæsiuit vultus meus vultum tuum in gloria sempiterna, ardentissimè cupiens te videre. Quomodo etiam accipi potest hoc Danielis loco.

¶ *Et secundum multitudinem misericordiarum.* Non merita sua in medium afferunt: sed ad portum diuinæ misericordiarum sapienter confugiunt. Et quia desicciat eos humanum præsidium, recurrunt ad miraculum dicentes: Erue nos in mirabilibus tuis. Ac quia miraculis solet Dei gloria illustrari, addunt: Et da gloriam nomini tuo domine. Vt videntes idolorum cultores prodigium, ac potentiam Dei, illum cognouerent, & laudibus efferrent.

¶ *Et confundantur.* Loquitur de confusionem per poenitentiam. Vel perit à Deo, vt impios puniat, non appetitione vltionis, sed iustitiæ ductus, vt sciant homines eum esse verum Deum. Ita intelligitur illud psalmi quinquagesimiseptimi: Letabitur iustus, cum viderit vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris. Non quod iustus calamitosi hominis supplicium insultet: sed quod intelligat illustrari nomen Dei, & homines vitium nuntium remittere, cum scelerati à Deo castigantur, & insigni aliquo supplicio afficiuntur. Animi hominum tum magnopere excitantur ad religionem, cum Deus seueritatem iustitiæ suæ in homines nefarios ostendit, & præclara aliqua atque conficienda pœna declarat, se bonis consulere, improbos vlcisci. Hac ratione ductus petebat à Deo pius Dauid, vt de impiis hostibus suis lumeret pœnas, cum diceret psalmo septimo: Exurge domine in ira tua, & exaltare in sinibus inimicorum meorum. Exurge domine Deus meus in præcepto, quod mandasti, & synagoga populorum circumdabit te. Ac si diceret, Noli domine quasi dormiens dissimulare, & differre supplicium: sed fiat illustris tua potentia

Psal. 57.

Psal. 7.